

Sorsch est Auctor.

EX

ANTHROPOLOGIA

TENTAMEN PUBLICUM

SUBIBUNT

PERILLUSTRES, PRAENOBILES, AC ERUDITI
D O M I N I

mane ab hora octava

CHRISTIANUS JOSEPHUS L. B. DE BENTZEL, *Mogonus*
GODOFREDUS MARSILIUS L. B. DE BENTZEL, *Mogonus*
VALENTINUS HENRICH, *Abenheimensis*

a prandio ab hora tertia

JACOBUS MISCHLER, *Heppenheimensis*
ANTONIUS THEODORUS PAULI, *Mogonus*
IGNATIUS REISSINGER, *Afchaffenburgensis*

*Minster.
ex dono Casman.*

DIE I APRILIS MDCCLXXXIV.

IN AUDITORIO PRIMO THEOLOGICO

M O G U N T I A E,

Ex Typogr. Elect. Aul. Acad. priv. apud Joan. Joseph. Alef, Hared. Hafnet,

*Philos.
496.*

HT 044745759

MUSEUM OF THE HISTORY OF SCIENCE

Philos 496

1292 173 01

positivi
vitanda
synophr

distinct
judicio
cogn
mas
inger

ria,
acqui



ANTHROPOLOGIA.

Prolegomena in universam Philosophiam tradunt notionem philosophiæ, divisionem, ordinem partium, differentiam a scientiis positivis, pretium philosophiæ, nexum cum bellis artibus, vitia philosopho vitanda, bonum gustum in studio philosophiæ, modum studendi, brevem synopsis historiæ philosophicæ.

Prolegomena in Logicam agunt de ejus objecto, fine, utilitate, distinctione inter naturalem & artificialem. Quia vero idearum origo, judiciorum ac ratiociniorum indoles non nisi ex analysi virium animæ cognoscitivarum intelligi potest, hinc præmitendam logicæ artificiali duximus anthropologiam, quam sensu strictiore sic dicimus, quatenus historiam ingenii humani exhibet.

Prolegomena in Anthropologiam tractant de dignitate hujus materiæ, de mediis notitiæ animæ obtinendi, de impedimentis & difficultate acquirendi cognitionem psychologiam.

S E C T I O I.
F A C U L T A S S E N T I E N D I.

§. I.

Nexus animæ humanæ cum corpore & mundo.

I. **P**er animam intelligimus ens illud, quod in nobis cogitat, a corpore distinctum, sed tamen intime cum eo connexum, intellectu & voluntate præditum.

II. Existentiã animæ est factum quoddam indemonstrabile & fundamentale — discernimus autem omnes animam nostram ab objectis externis, a propriis ejus mutationibus, a corpore nostro — alia ratione corpus, alia animam nostram vocamus; corpus ad nos non referimus, nisi quatenus nobis est organum sensationum — hanc vero differentiam animæ a corpore diversi philosophi diversa ratione concipiunt.

III. Nihilominus est anima corpori intime conjuncta — ratio explicandi mutuum hoc commercium tribus philosophorum hypothesebus ansam dedit, hypothese assistentiæ & causarum occasionalium, harmoniæ præstabilitæ, & influxus physici mutui — singularum notionem historicam dabimus, systemati influxus communiter jam recepto interim ad hærentes — ex varietate horum systematum jam intelliguntur diversa philosophorum de origine idearum sententiæ Aristotelis, Platonis, Cartesii, Malebranchii, Leibnitii, & aliorum quorundam Antiwolfianorum.

IV. Conjunctionem corporis cum anima necessariam esse ad mundum, qualis modo apparet, repræsentandum, non consentiunt Idealistæ, nec Harmonistæ cum Influxistis, licet his experientia adstipuletur — est vero mundus iste nobis phænomenon aliquod, seu est nobis id, quod relate ad hanc organorum structuram esse potest, & relate ad hunc situm corporis in mundo: hinc finis hujus conjunctionis est, ut mundus sub phænomeno aliquo sensibus nostris proportionato appareat.

§. II.

Genesis idearum sensualium.

I. Vis cognoscendi primo modo se exerit sentiendo: omnes nostræ ideæ a sensibus originem habent — quid sint organa sensoria, sensus externi, facultas sentiendi, sensatio externa, idea sensualis, hic dicetur.

II. Ad sensationem externam quatuor requiruntur: impressio ab agente objecto externo in organo sensus facta; hujus ad cerebrum propagatio, motio sive idea materialis in cerebro, perceptio in anima — unde & patet, quomodo sensationes externæ vel debilitentur, vel plane impediantur.

III. Quoties sensatio fit, semper organa ab objecto externo commoventur — impressio objecti propagatur ope nervorum: quæ horum elementa? — duplex est eorum functio — nervo cum cerebro non communicante sensatio cessat, sedes ergo sensationis non est in loco impressionis, sed in cerebro, quod est immediatum, nervi per corpus diffusum mediatum animæ organon — sensibilitas nervorum non est nisi eorum irritabilitas — &, si illa pars corporis sit sedes animæ, in quam anima & quæ in animam proxime agit, cerebrum, non totum corpus aut alia ejus pars est sedes animæ. An vero totum cerebrum? an pars? & quænam illa? hoc definiri nequit.

IV. Quænam vero est illa nervorum proprietas, qua ad functiones suas aptantur? suntne tubulorum instar fluido nervæo repleti? an membranæ eorum sensibiles sunt? an instar chordarum tensi motus oscillatorios recipiunt? an materia electrica circumfluens aut penetrans functiones eorum peragit? item: an nervi omnium sensuum externorum? an fibræ saltē ejusdem nervi in sensu quodam externo sunt homo = an heterogeneæ? hypotheses istæ exponendæ sunt.

V. Quid vero jam sunt ideæ materiales in cerebro? an species objecti impressæ, imagines objectis similes? nequaquam: sunt id, quod ex certa relatione objecti in hæc organa agentis resultat — nec requiritur ea similitudo, tamen ex effectu causa, ex signo res signata cognosci poterit — dicuntur ergo ideæ materiales tantum improprie imagines objectorum externorum.

VI. Representatio autem objecti externi in anima non statim oritur ex facta in eam impressione, sed hæc aliquamdiu ibi perdurare debet.

§. III.

Sensus externi singillatim considerati.

I. Non omnia organa externa apta sunt ad recipiendam ab omnibus objectis impressionem, sed certæ solum & specificæ mutationis capacia sunt; hoc fundamentum est, plures admittendi sensus externos, quibus utique convenit ratio generica tactus.

II. Sensationes sunt vel puræ vel mixtæ — multum juvat in singulis sensibus istas distinguere, ne error sensibus tribuatur, qui judiciis sensuibus inest, aut phantasticæ operationi.

III. *Tactus* quodnam est organon in corpore externo? — est hic sensus maxime immediatus — idea tactilis & objecti & corporis nostri apperceptionem involvit — hic sensus docet, quid sit corpus, impenetrabile, durum, molle, elasticum, læve, asperum, ideas extensionis, magnitudinis, figuræ, motus & quietis &c. — ex his ideis plures per visum acceptæ non nisi mixtæ sunt.

IV. *Gustus* organon est palatum præsertim & lingua — huic sensui semper adjunctus est tactus — est mutationi obnoxius — ex plurimis tantum quadruplices genericos sapes designare possumus — an hi sunt quid in ipsis corporibus sapis? — sapes commixti in unam confluunt sensationem.

V. *Odoratus* est sensus prioribus subtilior — aer est vehiculum particularum odoriferarum, quæ subtilissimæ sunt — pro aeris densitate vel raritate & copia exhalationum odor erit fortior vel debior — magna est hujus sensus cum toto systemate nerveo connexio — generalia tantum nomina odores habent — a quo corpore procedant, aliis sensibus discimus.

VI. *Auditus* medium est aeris motus tremulus — ex sono hominem, avem, distantiam &c. dum cognoscere dicimus, non amplius ista est sensatio pura hujus sensus — plures soni sunt singillatim apperceptibiles — unde idea harmoniæ, disharmoniæ?

VII. *Visus* medium sunt radii lucis — ex his ideæ colorum — ex hoc sensu habentur quoque ideæ extensionis, sed superficialis tantum, figuræ, motus, distantia, magnitudinis apparentis; sed hæ ideæ per tactum corrigi sæpe debent, quo distantias metimur, & veram magnitudinem, atque motum proprium a motu objecti externi discernimus.

VIII. Sensus externi subtiles vel tardi, acuti vel hebetes sunt — an acui possunt usu & exercitio congruo? id experientia testatur: perficiuntur autem a) ipso organo recipiente aliam dispositionem b) phantastica adfociatione præteritarum idearum cum præsentis c) faciliori receptivitate animæ.

§. IV.

Sensus externi inter se comparati.

I. Sensus eo *subtilior* est, quo subtiliori materia afficitur: hinc subtilissimus est visus, quem sequuntur auditus, tum odoratus, gustus, tactus.

II. Sin attendatur *vivacitas idearum*, quas per sensum quemlibet adquirimus, præcedet tactus, & sequuntur reliqui ordine inverio.

III. Spectata *distinctione* idearum per sensus obtentaram, eadem iterum erit sensuum erga se ratio, quæ fuerat subtilitatis.

IV. Idem ordo observandus erit, si respiciatur *facilitas reproductionis* idearum per phantasiam — provide id a natura factum, ut ideæ sensuum vivaciorum difficilius restaurentur — eadem ratione, qua sensus ipsi subtiles ac distincti sunt, etiam dignitas delectationum sensualium æstimari debet.

V. Si conferatur *sphæra activitatis*, sensus iterum rationem subtilitatis sequentur.

VI. Sed quid? si sensus sensui contradicit, an fallunt sensus? non fallunt quidem, sed, ne tibi sint occasio erroris, sensum objecto proprium adhibe, plures sensus, subinde rationem consule, & præsertim organi ex = & interni, medii ac distantia rationem habe.

§. V.

§. V.

Leges & differentia duplex idearum sensualium.

I. Lex generalis sensationum est: sensatio semper se habet, sicut impressio in organo utroque facta.

II. Inde leges speciales 1) secundum *differentiam idearum sensualium materialem*: variant ideæ a) pro varia objectorum externorum in organa actione b) pro diversitate organorum c) pro diversa organorum & d) cerebri dispositione.

III. Ideæ sunt vel simplices vel compositæ — simplices tantum dicuntur relate ad nostram apperceptionem, non ex impressione — tales definiri nequeunt, hinc etiam per sensationes ex = vel internas tantum acquiruntur — claræ tamen sunt & uniformes — nec possunt dividi, varios tamen gradus admittunt, quos exprimere non possumus, nisi comparando ideas unius sensus cum ideis per alium sensum acceptis — ideæ compositæ differunt ab adsociatis.

IV. Sensationes externæ distingui adhuc debent a *sensationibus externis* (äußere Gefühle): licet in organisatione externa sedem ambæ habeant, tamen istæ non repræsentant objecta externa, sed immediate statum corporis proprii — tales sunt sensationes famis, sitis, caloris, frigoris, nausea, assuet = insuetudinis, lassitudinis, refectionis &c. — si sensationes non indifferentes sint, sed animum voluptate aut tædio afficiant, etiam *sensationes* sive *commotiones animi* erunt (Empfindnisse).

V. Per se patet, ideas sensuales singulares sive individuales esse.

VI. 2) Juxta *differentiam formalem* sunt ideæ vivaces, claræ, distinctæ — vivacitas ideæ causatur per fortem impressionem, & pendet a quantitate motus, qua objectum externum in organa agit — hæc obstat sæpe claritati & distinctioni ideæ sensualis.

VII. Distinguenda est claritas impressionis a claritate ipsius ideæ — clara impressio motum objecti saltem ita intensum requirit, ut in animam propagari, & objectum appercepti possit — hinc objecta remotiora obscurius percipiuntur.

VIII.

VIII. Idea distincta erit, si quævis objecti pars in peculiarem organi partem agat — impressio fortior debilitat vel extinguit remissionem.

§. VI.

Relatio vis representandi ad vim sentiendi.

I. Nihil sentimus immediate, nisi præsentem animæ modificationem, & quidem ceu passivam — ipsas animæ actiones immediate non sentimus, sed tantum relicta earum vestigia — nec etiam sentimus relationes nostrarum idearum, quas tum erga se invicem, tum ad statum animæ habent; sed tantum absolutas nostri mutationes — hinc sensatio externa differt a sensu (Gefühl).

II. Licet anima sentiendo patiatur, tamen agit & ipsa in ideis sensualibus, representando, apperpiendo, attendendo.

III. Quid vero est *representatio*? quomodo fit, ut præsens aliqua animæ mutatio exhibeat objectum quoddam ab ipsa distinctum? quid senserint de indole representationum Plato, Democritus, Aristoteles cum Peripateticis, Idealistæ, Leibnitiæ ac Wolffius, exponemus — nobis representatio est ea animæ modificatio, ex qua cognoscitur aliquod objectum — immediate exprimit præcedentem animæ mutationem per sui vestigium in nobis relictam, & per eam objectum externum — plures simul representationes anima capit — representationi si adjunctus sit sensus propriæ mutationis, *perceptio* dicitur.

IV. *Apperceptio* est actio animæ continuato quodam intuitu objectum percipientis, quod ceu singulare quoddam & ab aliis discretum cognoscitur: dicitur etiam *conscientia objecti*, nisi forte per conscientiam majorem apperceptionis gradum indicare velis — utraque involuit comparationem objecti cum objectis, adeoque locum non habet, si una solum idea menti præsens sit — an dantur in nobis representationes obscuræ, quarum conscientiam non habemus? dantur utique in nobis modificationes obscuræ — inde etiam explicari potest illa quæstio: an anima semper cogitat? — hinc criterium inter ideas claras & obscuras est apperceptio.

V. Potestatem in ideas sensuales anima exercet *attendendo* — pro varia attentionis directione ea dicitur comparatio, reflexio, abstractio — attentioni adjungitur actio animæ in organa in- & externa, abstractio vis ejus ab aliis objectis, & intensio uni facta — attentione idea sensualis & ipsa impressio fit clarius atque vivacior — si plura objecta simultaneam faciant impressionem aut celeriter succedentem, attentio dissipatur, ideæ oriuntur incompletæ, & impressio fortior auget difficultatem attendendi ad debiliorem.

VI. Attentio est vel ampla vel restricta, vivida & fortis, vel debilis & iners aut plane suppressa, ordinata vel inordinata sive dissipata, volatilis aut fixa — hæc variæ affectiones attentionis dependere videntur a diverso motu spirituum animalium in cerebro.

VII. Attentio est vel *sensualis* sive involuntaria, vel *spiritualis* & voluntaria — attentionem sensualem cient objecta aut 1) se solis & propria sua sensibilitate a) forti impressione b) grata, ingrata c) nova; vel 2) adfociatione cum illis, quatenus aut relationem similitudinis ad illa, aut ad proprias animæ inclinationes & dispositiones habent.

VIII. Attentio spiritualis sive reflexio (*Besonnenheit*) fundatur in homine a) ampla idearum adfociatione, per quam fit, ut semper plures menti præsentis sint ideæ, in quas attentio convertio possit b) facultate & tendentia ideæ distinctas reddendi, nec vivacibus solum adhærendi c) sphaera activitatis ad certas indigentias non restricta — hæc est prærogativa hominis præ brutis, & dispositio rationis humanæ.

IX. Demum attentio est vel *flexilis* vel *tarda* — hæc facit homines intractabiles, nisi a juventute attentionem dirigere discant — confortatur attentio usu & exercitio congruo — debilitatur conversione nimis diutina ad unius generis objecta — reficiendæ attentionis optimum medium est variatio objectorum — attentio, licet adjunctam habeat reactionem animæ in organa ex- & interna, tamen simul est actio animæ immanens.

S E C T I O I I .

S E N S U S I N T E R N U S .

§. I.

Conscientia nostri ex sensationibus externis.

I. **C**onscientia nostri multiplex distingui debet, a) corporis b) animæ — mutationum, actionum & virium ejus c) existentia d) individualitatis propriae & e) personalitatis — varia ratione oritur & amittitur hæc conscientia.

II. Corporis conscientiam acquirimus per omnes sensationes externas, quæ, quo sunt vivaciores, eo vivacior, quo plures simultaneæ, eo magis distincta erit conscientia corporis — vivacitas tamen ista certum gradum excedere non debet — non diu erit homo sine conscientia corporis — nonnisi earum partium corporis & eatenus conscientiam habemus, quatenus nervis præditæ, sunt præsens immediatum instrumentum sensationum.

III. In sensatione externa pars duplex distingui debet, *representatio objecti externi, & modificatio nostri*; ultimo sub respectu tantum nostri conscientiam parit — & quidem eo minus, quo magis ad objecti externi contemplationem elicitur vis representandi — quo hæc minus activa, eo vivacior est sensus nostri — unde vero est, quod aliæ sensationes magis vim representandi, aliæ magis sensum nostri ipsorum excitent? id pendet a) a pravia certæ facultatis cultura b) ab impressionis ipsius qualitate: viva & confusa afficiet sensum, distincta vim representandi — hinc jam facile assignari poterit proportio, qua sensus nostri externi alterutram facultatem magis excitant — etiam voluptas & tædium nonnisi ex sensu propriae perf. vel imperfectionis oritur.

§. II.

Conscientia animæ & existentia propriæ.

I. Mutationum animæ immediatam conscientiam habemus — discernimus vero etiam sensu interno varias harum mutationum affectiones, varios gradus claritatis idearum, ideas simplices a compositis, compositas ab adsociatis, sensationes a phantasmatis — appercipimus ad sensum & dissensum quibusdam propositionibus, quibusdam impressionibus in oculo & aure factis, aut certis hominum actionibus præstitum: unde *sensum veri, pulchri, & moralem* animæ tribuunt.

II. Dum agimus, eo momento conscii quidem non sumus, nos agere; interim aliter mutationes passivas, aliter activas in nobis oriri sentimus, quas dum inter se conferimus, conscii reddimur actionis & passionis propriæ; quas mutationes a se ipsa dum anima discernit, facultatum passivarum & virium propriarum conscia fit — hæc ergo conscientia vis est tantum mediata & reflexa — ex diversitate actionum inferimus diversitatem virium — earum vero nullam conscientiam habere possumus, quæ nondum in nobis prodierunt.

III. Sicut conscientia mutationum corporis aut animæ per sensationes immediata est, sic etiam semper immediate coappercipimus existentiam nostram — utique non independentem a præviis nostri mutationibus — sed semper comitatur conscientia existentia conscientiam mutationum nostri — per ratiocinium ergo non infertur; unde huc nihil probaret illud Cartesii: cogito, ergo existo; sed existentia est factum primum & indemonstrabile — longiori via ex conscientia actionum nostrarum accipitur conscientia existentia nostræ — hæc conscientia gradus vivacitatis & extensionis admittit — cum conscientia sensationum ex — vel internarum obscuratur, debilitatur, supprimitur — est vel confusa solum, vel etiam distincta.

§. III.

Conscientia individualitatis & personalitatis.

I. Individualitatis idea componitur ex omnibus nostris ex- & internis determinationibus, accidentalibus & essentialibus: hinc valde incompleta est — hæc conscientia origo est omnis decori & actionum reflexarum — deficit tum, cum sensationes a phantasmatis non amplius discernuntur; qui status varios gradus habet in meditatione profunda, affectibus vehementibus, in melancholico, ebrio, fanatico, somniante, delirante &c. — conservatur hæc conscientia, &, si fuerit amissa, revocatur per sensationes præsertim statum nostrum externum respicientes.

II. Hæc conscientia individualitatis propriæ est nobis sensus jucundissimus — quilibet secum ipso contentus — sibi ipsi maxime placet, tum res aliæ ea proportionem, qua ad eum relationem habent similitudinis, affinitatis, communionis cujuscumque — ex jucunditate ista oritur in omnibus conatus, eam conscientiam continuandi, & impediendi, nec nimis debilitetur aut ullo tædio afficiatur — viva autem conservatur ea conscientia a) per certas idearum affectiones: si sint novæ, veræ, præsertim a nobis ipsis confectæ, distinctæ, si objecta grandia, pulchra & perfecta repræsentent b) per sensationes c) affectus d) variationem affectuum e) conscientiam præsertim virium & fortitudinis propriæ: quo refertur fortitudo & forma corporis, vis cogitandi & eloquentiæ, artes, quas quis exercet, divitiæ omniaque bona externa, & honor proprius — plurimum vero interest ad felicitatem nostram, veram esse hanc conscientiam nostri & justam æstimationem. Quibus vero id mediis conficietur?

III. Hæc conscientia nostri est vel *comitans* solum vel *continuata*, quæ est conscientia *personalitatis* nostræ: hæc fundatur reminiscencia, eoque gradu viva & perfecta erit, quo ista — hinc differt a conscientia existentis & individualitatis,

S E C T I O III.

V I S C O G I T A N D I

§. I.

Effectus vis cogitandi.

I. **V**is cogitandi comparatione idearum atque intuitu relationis, quam illæ erga se habent, occupatur — sic distinguitur a vi sentiendi — a forma, quam impressio quæcunque a vi cogitandi elaborata accipit, dicitur idea *reflexa*, quatenus sola impressione constabat, *intuitiva* — alio adhuc sensu ideæ intuitivæ opponuntur cognitioni *symbolicæ & analogicæ*: ideæ per sensum ex- & internum immediate acceptæ sunt intuitivæ: in cognitione analogica sensationes istæ, in symbolica res arbitrariæ sensibiles sunt nobis signa aliarum rerum & idearum.

II. Vis cogitandi actus sunt ideæ *relativæ*, quæ involvunt aliquam ideam relationis: his opponuntur *absolutæ* — alio etiam sensu subinde dicuntur iudicia nostra esse *relativa*, quatenus ad mutabilem quamdam & arbitrariam mensuram exiguntur.

III. Vim cogitandi aliqui intellectum, alii rationem, aut facultatem cognoscendi superiorem appellant, alii intellectum cum ratione confundunt: nos distinguimus vim intelligendi, iudicandi, ratiocinandi, sub generica vi cogitandi comprehensam.

IV. Divisio inter facultatem cognoscendi *inferiorem & superiorem* inventa est, ut id, quod in cognitione nostra sensui debetur, distingueretur ab eo, quod a propria reflexione profectum est — male ponitur ea distinctio, si per vim cognoscendi inferiorem nonnisi confusæ, per superiorem nonnisi distinctæ ideæ acquiri posse putentur — nec vis cognoscendi superior, si ponitur ceu nota characteristica hominis a bruto, ut altior solum gradus vis inferioris, nec tamen etiam ceu vis diversa & seorsim agens concipi debet.

§. II.

§. II.

Intellectus.

I. Vis cogitandi occupata efformatione idearum distinctarum & universalium *intellectus* a nobis vocatur — supponit vim comparandi notas idearum — quid sint notæ earum & quotuplices, quid sint ideæ claræ, claritas synthetica & analytica, quid ideæ distinctæ, adæquatæ, quomodo per intellectum tormentur, hic dicendum est.

II. Intellectus altera functio est abstractio: per hanc formantur ideæ universales, quæ sunt vel sensuales vel superiores — facultatem abstrahendi superiorem in specie intellectum vocant — abstractio per varios gradus elevari potest; omnis tamen idea utcumque simplex reddita per abstractionem, utpote in sensationibus contenta, ad eas denuo reduci potest.

III. Triplici autem modo ideæ universales a nobis obtinentur a) per verba b) abstractione quadam naturali — sic abstracta sensuاليا præfertim oriuntur altiori impressione ejus, quod erat in pluribus sensationibus simile — hinc possibiles sunt ideæ universales sine usu verborum c) artificiali. Sic abstracta intellectualia sunt, prioribus magis distincta & determinata — sed quomodo representantur in nobis talia abstracta, quibus in natura objectum reale, & determinata imago in cerebro non respondet? id diversi diversimode explicant, & omnes conciliari possunt, si attendatur triplex abstractorum origo.

IV. Idea universalis extensionem quamdam habet & comprehensionem: hæ vero duæ proprietates sunt erga se in ratione inversa.

V. Insignis usus est idearum universalium: dant cognitioni nostræ extensionem, claritatem, distinctionem, sunt fundamentum linguarum ac ratiociniorum, conciliant denique cognitioni in tanta rerum varietate ac confusione ordinem, dum objecta in genera & species distribuuntur — quæ classificationes licet forte non sint conformes rebus ipsis in natura existentibus, licet non exprimant essentiam realem, tamen utiles sunt, & limitato intellectui nostro accommodata.

VI. Abstractione quoque notæ constantes cognoscuntur & variables: sic *idea substantiarum* oriuntur & *modorum* — hinc patet, quid sint *ideæ abstractæ*, quatenus concretis opponuntur — *ideæ subjectorum* utique non exprimunt nisi essentiam nominalem: hinc non sunt apud omnes eadem — magis adhuc variant *ideæ modorum* præsertim compositæ, cum plane non habeant in natura determinatum objectum, unde abstrahi debeant,

VII. *Ideæ abstractæ* vel sunt *sensibiles*, vel pure *intellectuales*, vel *mixtæ*: omnibus adjunctum quidem est signum quoddam sensibile, per quod repræsententur, sed *intellectuales* in sensu interno potius, illæ in externo suum habent.

VIII. Perfectiones intellectus sunt *perspicacia* sive *puritas*, *subtilitas*, & *profunditas*.

§. III.

Vis judicandi.

I. *Judicium* est intuitus relationis, quam duæ *ideæ* inter se comparatæ ad se habent: tria ergo ad *judicium* requiruntur — relatio *idearum* ad se est vel relatio convenientiæ vel disconvenientiæ — inde colligitur, quid sit facultas *judicandi*.

II. *Judicium* differt ab *idea composita* — hinc patet, quod, sicut nullæ relationes, sic nec *judicia* sentiendo sed cogitando oriuntur — dantur vero *judicia sensuality*: tum nascuntur *judicia generum & specierum*, sicut *ideæ universales* — *Judiciis universalibus* opponuntur intuitiva.

III. *Judicia* sunt vel *immediata* vel *mediata* sive *conclusa* — *Judicia immediata* alia non dantur, nisi vel *experientiæ immediatæ* vel *clara principia rationis* — sæpissime vero a nobis *judicia mediata* pro *immediatis* habentur.

IV. Dotes iudicii sunt, si sit *subtile, acutum, penetrans, maturum*. — Distinguunt etiam *theoreticum & practicum*, quod intelligendum est, si dicitur hominem iudicio gaudere — tribuitur etiam sensibus externis iudicium quoddam: unde iudicium aurium dicitur: inde alique gustus dispositio.

§. IV.

Vis ratiocinandi.

I. In determinanda notione *rationis* humanae quidam respiciunt ad rationem operandi omnibus ejus actibus communem, & tum esset capacitas ideas comparandi earumque relationem perspicendi — aliqui ad singulos tantum actus, & hi strictius facultatem ratiocinandi pro ratione sumunt; quo sensu & nos accipimus: quid est ratiocinium? quid vis ratiocinandi? — alii ad varias rationis in homine dispositiones, & hi eam fundant in voluntaria attentione, de qua nos supra — alii denique systema veritatum universalium nobis congenitarum cum Leibnitio rationem vocant.

II. Sed quid de ideis, de principiis innatis habendum? illas Cartesiani, hæc Leibnitius defendit, diversa tamen ratione — cum omnium idearum origo per notas animæ facultates explicari possit, per experientiam sensus ex- & interni, vel per rationis reflexionem; nulla ratio adest, ideas innatas admittendi — nec Leibnitii rationes probant, congenita esse universalia principia rationis — iisdem argumentis & Platonis ac Malebranchii opinio de origine idearum refellitur.

III. Sicut vires corporum, vires appetendi in anima per experientiam constantem observantur certo quodam & immutabili modo agere, ita & vires cogitandi; inde leges motuum, appetitus, cogitandi abstrahuntur — tales cogitandi leges istæ sunt: 1) non possumus cogitare, quod idem simul sit & non sit 2) hinc non possumus ideam ex notis contradicentibus componere. 3) Nec notam essentialem ab idea separare. 4) Debemus

ceu eadem vel similia cogitare, in quibus notarum identitatem vel convenientiam perspiciamus. 5) Posito eo, ex quo aliud plene intelligitur, & illud ipsum admittere debemus. 6) Quæ conveniunt vel repugnant generi aut speciei, etiam affirmare vel negare debemus de inferioribus — jam ab hisce subjectivis cogitandi legibus principia quædam abstracta, & ad ipsam objectorum naturam translata sunt, & vocatur 1) *principium contradictionis* 2) *principium inconjungibilem* & 3) *inseparabilem*, quæ duo immediate fundantur in principio contradictionis 4) *Principium convenientia sive identitatis* 5) *Rationis sufficientis*. 6) *Dictum de omni & dictum de nullo* — inter hæc principia in omnibus cogitandi actibus se potissimum exerunt principium contradictionis & convenientiæ, illud in perspicenda idearum impossibilitate, falsitate judiciorum & ratiociniorum affirmativorum, & negativorum veritate; hoc in idearum possibilitate, judiciorum & ratiociniorum affirmativorum veritate.

IV. Horum principiorum nova tantum modificatio sunt ista duo: quæ sunt eadem uni tertio, etiam sunt eadem inter se: quæ sunt distincta in uno tertio, etiam distincta sunt inter se; quibus omnia ratiocinia nostra & leges syllogistica fundantur — quisnam est eorum axiomatum sensus?

V. Ista duo principia, contradictionis & convenientiæ, sunt quoque principia formalia veritatis; veritas enim est con- vel disconvenientia eorum, quæ ut eadem vel distincta ratio repræsentat & repræsentare debet — hinc sana ratio est sedes veritatis & sensualis & abstractæ — veritates rationis sunt *vel* mediata vel immediata — his principiis etiam nituntur leges assensus logici & dissensus vero aut falso præstiti.

VI. Quid sit sensus communis, quid analogon rationis, quid ratio sub- & objectiva, quando quid sit rationi conforme, supra & contra rationem, hic explicandum est.

S E C T I O I V .
PHANTASIA ET FACULTATES EX ISTA
ORIUNDE.

§. I.

Phantasiæ notio.

I. **O**mnes nostræ ideæ & mutationes animæ quæcunque a) ideæ sensuales omnium sensuum b) omnes proprio animæ studio compositæ vel abstractæ c) etiam pure intellectuales d) sensationes internæ e) atque omnes modificationes virium animæ per ideas causatæ in nobis vestigia relinquunt — unde & absente earum causa prima reproduci a mente possunt.

II. Omnes hæc relictæ in nobis modificationes ut plurimum manent inconfusæ, renovantur vi interna, majori vel minori, vivacius aut debilius, magis vel minus complete; una semel restaurata alias plures secum excitat adsociatas; quædam longius durant in nobis, aliæ evanuisse videntur; cum quibusdam adjungitur conscientia, eas olim a nobis fuisse habitas, non cum aliis; quædam ideæ per phantasiam transformantur, non aliæ — ex his apparet, a generica vi *phantasiæ*, quæ est vis ideas olim habitas reproducendi, pro varia ratione, qua ideæ conservantur, reproduuntur & combinantur, recte distingui speciales ejus dotes, *memoriam, reminiscen-
tiam, vim imaginandi & fingendi.*

§. II.

Experientiæ generales de phantasticis ideis.

I. Quo vividiores & clariores erant præteritæ mutationes, quo istæ sæpius repetitæ aut per sensationem aut phantasiam, quo recentiores, quo magis sensus externi quiescunt, eo etiam vivacius & clarius per phantasiam reproduuntur — ideæ phantasticæ sunt ordinariè debiliores, quam

primæ mutationes, quarum istæ sunt relicta vestigia: hinc criterium in statu ordinario sensationes a phantasmatis discernendi est major illarum vivacitas, licet & alia dentur — alia ratione sensualis idea, alia phantastica vivacitatem sortitur.

II. Duratio idearum in phantasia pendet 1) a *receptivitate organorum in - & exteriorum*, & a *receptivitate animæ* — quid est receptivitas organi utriusque? — anima cooperatur stabiliendæ impressioni per conscientiam ideæ & attentionem — ab attentionis conditione pendet & facilius receptio ideæ, & duratio.

III. 2) *A modo, quo ideæ post factam impressionem in nobis sustentantur*, scilicet a) a repetita aut sensuali aut phantastica representatione b) ab adfociatione cum ideis in phantasia semper vivis.

IV. 3) *A qualitate ipsarum idearum*: sic ideæ attentionem imprimis excitantes, ideæ individuorum & proprietatum absolutarum præ ideis relationum & abstractis, signa idearum conjuncta cum cognitione intuitiva præ meris signis, distincta præ obscurioribus, successivæ præ simultaneis, magis connexæ cum inclinationibus nostris, cum veritate & utilitate stabilius conservantur.

§. III.

Adfociatio, series, & progressus idearum.

I. Ideæ in phantasia receptæ non solitariae existunt, nec casu reproductuntur, sed sese conjungunt, ita quidem, ut una renovata & alias restauret: hæc est *adfociatio* idearum, quæ & ipsa juxta certas leges fit a) *simultaneitatis vel coexistentiæ* b) *successionis* c) *similitudinis* — quisnam est sensus cujusvis legis & quanam extensio? — plura vero sunt commoda hujus adfociationis idearum: sic *lege similitudinis* fundatur idearum apperceptio, idearum universalium efformatio, ingenium ad bellas artes imprimis requisitum, & acumen; *lege coexistentiæ & successionis* plura animæ phænomena explicatum habent, capacitas addiscendi linguam, vis præjudiciorum, diversitas impressionis ab eodem objecto in diversis
facta

facta, fortissimi & insoliti effectus, quos quædam ideæ in homine produ-
cunt, mira combinatio rerum ineptissimarum, vitiosa imitatio, magna
pars effectuum anti — vel sympatheticorum in homine &c.

II. Possunt vero juxta has leges adsociari omnis generis ideæ a)
sensuales cum sensualibus — præsertim cum ideis visualibus se omnes
aliorum sensuum ideæ adsociant, easque reproducunt, non vero per ideas
visus & ipsæ reproducuntur. b) sensuales cum phantasticis. c) cum sen-
sionibus internis d) & intellectualibus. e) phantasticæ cum phantasticis.
f) intellectuales cum intellectualibus.

III. Si attendatur ratio, qua ideæ se invicem exsuscitant, tum vel
simul, vel non nisi successively existunt. Ex simultanea apperceptione plu-
rium objectorum vel olim simul sensibus perceptorum, vel cogitando
conjunctorum dicuntur in specie *ideæ adsociatæ*; cum vero in successivis
pluribus ideis non nisi una alteram evocat, oriuntur *series idearum*; ordo,
quo plures idearum series se subsequuntur, dicitur *progressus idearum* —
series idearum iterum sunt vel determinatæ vel indeterminatæ — paucissi-
mæ nostræ idearum series determinatæ sunt — ideæ plurimæ quid pro-
sunt, nisi sint in series ordinatæ? — quorum series idearum conformes
sunt, isti facile sese intelligunt — juxta formatas semel idearum series
quilibet sibi rerum ordinem repræsentat — series idearum *inordinatæ*
pariunt confusionem ingenii, & promiscuam garrulitatem, series *paucæ*
& *breves* ingenium vulgare, *rite ordinatæ* memoriam fidelem, reminis-
centiam, & intellectus præcisionem, *arte connexæ* adhæsiōnem ad certas
theorias & hypothèses, ac facilem memoriam, *sapius repetitæ* habitus
fundant.

IV. Progressus idearum est vel *naturalis* vel *irregularis* vel *ratio-
nalis* — *naturalis* efficitur per notas leges adsociationis, & locum ha-
bet in omnibus illis statibus, in quibus anima activa esse non vult vel
non potest — cur inter series idearum una facilius, quam alia excite-
tur, variæ sunt causæ a) facilius suscitantur series idearum *per sensatio-
nem, quam ideam phantasticam.* b) *nobis familiares* & consuetis cogi-
tandi legibus conformes, & quidem a) juxta illam legem adsociationis,
juxta quam cogitare adsueti sumus; inde dispositio ingenii, acuminis,

ingenii philosophici vel systematici. β . juxta unam potius ejusdem legis modificationem nobis familiarem, quam juxta aliam — mutato vivendi genere etiam series idearum consuetudine contractæ mutantur. c) *Juxta præsentem mentis dispositionem & affectus* — affectus determinat & speciem idearum reproducendarum, & relationes ac numerum reproductarum.

V. Ideæ reproductæ cum prioribus per notas leges adfociationis saltem aperte non connexæ dicuntur habere *progressum fortuitum & irregularem* — hujus duplex ratio esse potest, vel occulta idearum connexio cum præcedentibus per ideas obscuras facta, vel commotio cerebri a causis nobis incognitis orta — hinc hæ ideæ fortuitæ videntur esse conformes præsentis corporis dispositioni.

VI. *Rationalis idearum progressus* determinatur per voluntarium animæ influxum — eo fortior & major anima erit, quo major illi in ideas potestas est — hic activus animæ influxus exierit se 1) *generali quodam attentionis arbitrio* 2) *rationali delectu & combinatione idearum* — attentio, quid circa ideas possit, supra dictum — delectus circa ideas & combinatio locum habet, si ideæ non sint inseparabiliter connexæ — fit autem delectus idearum a) *juxta habituales & præsentem animæ indolem*, $\betajuxta mensuram acuminis ejus — a) habituali indoli adferbitur, quod quædam ideæ præ aliis excitent attentionem & illam cognoscendi vim, quæ jam exercitio roborata est — præsens animæ status est vel activus vel passivus, in illo juxta certos fines fit delectus, eo difficilior, si vel nimis multas, vel nimis paucas ideas phantasia suscitât, in isto præferuntur ideæ habituali dispositioni & præsentis conscientiæ individualitatis faventes — in affectibus minori studio fit delectus. $\betaAcumen relationes idearum ad se invicem examinat — est vel judicium vel gustus — eo majus, quo fortiores sunt idearum relationes, quæ deliguntur — sine isto acumine licet copiosa & viva sit phantasia, nulla erunt opera ingenii — acumen dispositiones habet tum in phantasia, tum in anima — acumen fines determinat, juxta quos ideæ reproducantur, phantasiam dirigit, & regularem reddit.$$

VII. Progressus idearum vel *velox* est, vel *tardus* — causæ velocitatis sunt a) affectus b) cupido sciendi exitum c) habitus in certa serie repro-

reproducenda
conflis capi
tarditatem
ignis jam e
cupis idearu

VIII.
idearum &
cursum ide
novam ser
e) ordine

fixa:
— ph
melanc
idearum
externo
nostri
memori

II.
idearum
organa i

III.
per influx
qualitatem
vivimus,
Rerum aut

reproducenda — velox idearum cursus parit audaciam & variationem in consiliis capiendis, & præcipitantiam in judicando, tardus indifferentiam, tarditatem resolutionis, deliberationis, & novæ idearum combinationis — signis jam externis uterque se prodit — pertasi mox erimus hominis, cujus idearum progressus longe aut velocior aut tardior est nostro.

VIII. Progressus idearum *longior* erit vel *brevior* a) pro copia idearum & serierum, quas jam combinavimus b) pro influxu animæ in cursum idearum — cursus idearum *impeditur* vel *interrumpitur* a) per novam sensationem b) voluntariam attentionem ad unam c) dissipationem d) ordinem idearum vel jam fixum vel e) nondum cognitum & perspectum.

§. IV.

Dotes & formatio phantasiæ.

I. Phantasia est vel *viva* vel *debilis*, *ordinata* vel *dissipata* vel *fixa*: hic applicanda sunt ea, quæ supra de attentionis dotibus attulimus — phantasia fixa varios gradus & *vivacitatis* v. g. in ægritudine animi, melancholia, delirio &c. habet, & *irritabilitatis*: hæc pendet a qualitate idearum — irritabilitas ideæ fixæ si magna, sæpe oritur stupor sensuum externorum, inefficacia reliquarum animæ virium, defectus conscientiæ nostri — phantasia fixa dissipatur restituta energia sensuum externorum & memoriæ.

II. Aliæ phantasiæ dotes sunt, si sit *copiosa*, *clara* — claritas idearum phantasticarum oritur ex facili communicatione, quæ est inter organa in - & externa — si *fortis* & *calida*, *indefessa*, *flexilis*, *originalis*.

III. Phantasiæ formatio & ideas reproducendi vis varie determinatur per influxum rerum externarum a) aeris b) atmosphæræ c) climatis qualitatem, in quo considerari debent natura & situatio regionis, in qua vivimus, indigentia climati propriæ, nutrimenta, calor & frigus cum solo sterili aut facundo.

§. V.

§. V.

Varii effectus per phantasiam producti.

I. Somni a levissimo usque ad profundum, item vigiliæ, varii gradus dantur; hinc difficile est criterium figere, quo somnus a vigilia discernatur. — videtur esse ille status, in quo ob organorum vel obstructionem vel debilitatem sensationes aut nullæ recipi, aut animæ saltem clare communicari non possunt — quid habendum de mediis somnum accelerandi, & determinata hora abrumpendi?

II. Origo somniorum derivatur a) a præsentī sensatione, aut per causas externas aut sæpius per causas corpori intrinsicæ effecta — progressus idearum in somniis sæpius naturalis, sæpe fortuitus & irregularis est — somnia erunt grata vel molesta pro qualitate ideæ excitatricis — magis vel minus connexa, aut longa juxta habitualam phantasie dispositionem.

III. In somniis, si motus organorum interiorum facile communicatur partibus corporis externis, varias videmus a somniantibus actiones poni; si jam majorem idearum vivacitatem, & faciliorem organorum communicationem mente concipias, phænomena *somnambulorum* facile explicabis — illorum dexteritas agendi nititur attentione majori, omni virium intensioe uni objecto applicata, & absentia timoris.

IV. *Visionariorum* (*Geisterseher*) phænomena exponi possunt quadruplici ratione a) vehementi commotione phantasie, cui sensatio quædam adjuncta est b) defectu aliquo organorum exteriorum e) arbitraria præternaturali phantasie intensioe — sic oracula olim reddita a sacrificulis saltem ex parte explicantur, d) corrupto statu phantasie per falsas repræsentationes.

V. Sed quid de *præsagiis* vel *præsensionibus* animi (*Ahndungen*) habendum? vim præsentendi eventum futurum Leibnitiani a vi animæ repræsentiandi universum derivant, nos ex viribus phantasie explicari posse censemus; ut vero id in casu determinato præstari possit, necesse est scire
&

& veram præfensionis ac determinatam indolem, qualis erat ante eventum, & ipsius præfagientis habitualem ac præsentem animi dispositionem — præfensiones *vigilum* oriuntur vel ex verisimilitudine eventus cognita vel viva repræsentatione phantastica vel desiderio eventus, qui si jam, plerumque fortuito, respondet, præfagium præcessisse creditur — præfagia *somniantium*, quibus facile fidem habent somniantes, explicantur ex causis physicis somniorum in corpore contentis & ex causis moralibus prævisionis.

VI. Infania (*Warrheit, Wahnsinn*) varios gradus habet & status v. g. delirium, phrenesin, melancholiam, fanaticum, fatuitatem, maniam &c. — ex variis actionibus, quibus infania se prodit, hanc ejus notionem abstrahimus: est ille status, in quo sensationes a phantasmatis non discernuntur, & aperte contradicentes ideæ pro veris habentur — ratio infantiæ non residet in corruptis organis externis — nec in ipsa anima — sed in corruptione ac perturbatione phantasiæ — quomodo autem phantasia infantiæ causat? phantasia fixa & affectu quodam irritata abripit omnem attentionem, phantasmatisque conciliat superiorem sensationibus vivacitatem, sic usum reflexionis adeoque rationis impedit — hinc ea adhesio ad sensationes & ideæ aperte contradictorias — vehementes affectus sunt species quædam infantiæ transeuntis — per fortes sensationes externas optime curatur infania — analoge explicatur status eorum, qui vigilantes somniant.

§. VI.

Memoria & reminiscentia.

I. *Memoria* est facultas ideæ & totas idearum series asservandi, atque ea ratione, qua fuere receptæ, restaurandi — *memoria* differt a *reminiscentia* — & a *vi imaginandi* — *imaginatio* tamen & *memoria* se invicem sustentant.

II. Probe distingui debet *memoria signorum* & *memoria rerum*: illa citius locum habet in homine, sed altera longius durat — non est inter utramque is nexus, ut ex una & altera colligi possit — perfici tamen & exerceri utraque debet.

III. A qualitate receptionis, conservationis, reproductionis, & numeri idearum receptorum memoria dicitur *bona* sive *velox*, *tenax*, *promta*, *fidelis* & *ampla* — licet tam velocitas quam tenacitas memoriæ pendeat a vivacitate ideæ impressæ, tamen utraque dos sapissime in homine disjuncta est, sicut & promptitudo ac fidelitas, quibus opponitur tarditas & confusio.

IV. Ab exercitio & habituali dispositione hominis atque idearum copia pendet *forma* memoriæ — memoria non toto vitæ tempore æqualis est — quid sit, cum res memoriæ mandantur? exercitio acui potest — regulæ artis mnemonicae sunt istæ a) ideæ imprimendæ rite appercipiuntur — hinc velocior mane, quam de die, ante, quam post mensam erit memoria. b) Ideæ impressæ sæpius repetantur: sic fidelis c) ideæ inter se & cum aliis magis connectantur: sic prompta fiet & tenax memoria — hinc memoria juvatur distinctione & divisione idearum.

V. Cum ideæ reproductæ adjuncta est conscientia, eam olim a nobis fuisse habitam, illam *recognoscimus*: *reminiscentia* duplex involvit iudicium, de identitate ideæ reproductæ cum olim habita, & de diversitate status nostri præsentis a præterito, adeoque reminiscentia complectitur conscientiam objecti & nostri ipsorum — hæc supponit memoriam, non vim imaginandi: hinc nec omnes ideæ phantasticae possunt fieri ideæ recordationis — deficiente memoria & reminiscentia locum non habet.

VI. Recognitio ideæ erit vel *distincta* vel *confusa*, distincta enascitur ex reproductis ideis sociis statum nostrum concernentibus; per has statum meum præsentem a præterito discerno, & conscientiam personalitatis acquirō — recognitio erit eo distinctior, quo clariores sunt singulæ ideæ sociæ: quæ, si omnes reproductæ, fiet *completa* — confusa autem recognitio oritur aut ex facilitate apperceptionis talis ideæ, aut per fuscitatas quasdam solum ideas socias, vel per nimis multas diversis temporibus adsociatas. Recognitio *fallit* per similes solum ideas socias, *difficilis* est, si vel non statim, vel exiguæ ideæ sociæ renoventur, *locum plane non habet*, si vel memoria deficit, vel conscientia nostri v. g. in somniis, in statu profundæ meditationis aut dissipationis.

VII. Recognitio est vel *naturalis* vel *voluntaria* & studio quæsita — quomodo fit ista, cum immediatam potestatem in ideas non habeamus?

§. VII.

Vis imaginandi & fingendi.

I. Arbitrarium quidem est vim *imaginandi & fingendi*, omnino affinem, distinguere: dici tamen potest, quod vis imaginandi celeri, distincta, & vivaci idearum phantasticarum representatione, vis fingendi efformatione novarum idearum, utique per organum imaginationis, sese ostendat, id quod ab usu loquendi non abhorret — utraque vis ideas juxta legem similitudinis adsociatas suscitatur, memoria & reminiscencia legem coexistentiæ & successioni sequitur — ideas incompletæ per memoriam reproductæ per vim fingendi novos colores sortiuntur.

II. Vis imaginandi exierit se potissimum *intuitiva vivacitate a) idearum sensualium*, representando objecta magna & composita cum suis partibus & relationibus, longam seriem factorum, res verbis descriptas intuitive exhibendo, res nimis exiguas distincte sistendo: talis imaginatio in geographa, belliduce, astronomo, historico, anatomico requiritur. b) *Idearum universalium*, dum signis res ipsæ substituuntur c) *sensuum*: dum ideis quibusvis adsociat ideas vivaces animum commoventes: tales ideas vel æsthetica, vel affectuosam vel moralem vim habent: sic & *enthusiasmus & fanaticismus* — triplex uterque — per imaginationem oritur.

III. Vis fingendi novas efformat ideas ex sensualibus & abstractis, partes addendo, subtrahendo, augendo, diminuendo, transponendo, & commiscendo — insigne exemplum dant ideas abstractæ, quæ formam habent, qualis non est singulis ideis, unde ipsæ coaluere.

IV. Dotes vis fictivæ sunt *fœcunditas, subtilitas, & præcisio* — si opera poetæ sint variatione materiarum locupletata, si novitate aliisque attentionis incitamentis animum suspendant, si sit debitus & partium delectus & erga communem finem subordinatio, omne punctum tulerunt.

§. VIII.

Hypotheses de sede Phantasiæ.

I. Quæstio systemati influxus physici conformis ista est: an ideas phantasticæ conservantur & adsociantur in cerebro? an in anima? quatuor

hic dari possunt hypotheser 1) asseruntur tantum & reproducuntur ab anima, licet cum ideis hisce semper conjunctæ sint quædam cerebri motiones. Hæc est sententia vulgaris. 2) Ideæ relinquuntur in cerebro S. organis internis, & anima tantum vim habet ideas istas appercipiendi: hæc hypothesis a Recentioribus, præsertim *Bonneto* exulta fuit — hæc ideæ materiales in cerebro consistentes conformiter hypothesibus de natura nervorum sunt certa cerebri dispositio ad similes motus reproducendos, vel per vestigia a fluido nerveo impressa vel per oscillationes fibrarum — & adsociatio idearum materialium fit per similes, simultaneas aut successivas motiones spirituum animalium, vel per harmonicas vicinasve fibrarum oscillationes. 3) Ideæ tam in cerebro quam in anima relinquuntur, & per utramque substantiam reproduci possunt, ita tamen, ut semper in alterutra etiam mutationes harmonicæ evenire debeant. 4) aliqua solum in cerebro, aliqua solum in anima, aliqua in utroque conservantur.

II. *Prima* hypoth. Difficultatem habet in explicandis phœnomenis, quæ dependentiam memoriæ & phantasiæ a cerebro & corpore probare videntur — *altera* hypoth. pluribus premitur objectionibus, quod discrimen inter volunt. & involuntarias idearum reproductiones apte explicari nequeat, quod saltem actiones animæ immanentes in anima relinqui debeant, quod eadem difficultas sit in concipiendis ideis in cerebro quam in anima &c. — Hinc probabilior videtur *tertia*, quæ mutuam cerebri in animam & hujus in cerebrum influxum ac necessariam conactivitatem, ut representatio existat, statuit, & sic omnes difficultates, quæ erant in prioribus hypoth., dissolvit.

S E C T I O V.

VIRIUM INGENII HUMANI QUANTITAS, DISPOSITIONES, EVOLUTIO, & CULTURA.

§. I.

Varia ingenii dispositiones.

- I. **Q**uantitas virium animæ generatim æstimatur *magnitudine earum, fortitudine & velocitate.*

II.

II. *Ingenii* latius accepti (*Genie*) varii varias dant definitiones — nobis ingenium est insignis in aliquo cognoscendi genere dispositio virium animæ aut habilitas — est vel *universale* vel *determinatum*.

III. Ad ingenium determinatum refertur a) *spiritus observationis* — notandæ sunt ejus dotes — variæ causæ, quibus excitatur augeturque, & impedimenta.

IV. b) *Ingenium* strictius dictum (*Wiß*) est vel *sensuale* vel *intellectuale* — perfectiones ejus quomodo æstimandæ sunt? supponit in homine celeritatem in observando & vivam phantasiam.

V. c) *Spiritus abstractionis* sive *ingenium abstractum* — hoc in specie est vel ingenium *profundum* vel *acutum* vel *systematicum* — dispositio hujus talenti est ordinata & temperata phantasia — quomodo ampliatur, & impeditur?

VI. d) *Spiritus explorationis* — duo illius genera sunt *ingenium philosophicum* & *sagacitas*: quomodo ambo se exerunt? — ambo supponunt spiritum observationis, ingenium, profundum & acutum.

VII. e) *Ingenium inventrix*, quod quidam solum ingenium appellant — inveniuntur autem vel 1) novæ series idearum, tum est vel *ingenium scientificum* vel *poeticum* 2) vel actionum: hoc *practicum* audit 3) vel novæ combinationes rerum corporearum: huc refertur ingenium, quod est vel *musicum* & *artium fictivum*, vel *mechanicum* — inventi cujusdam magnitudo quomodo æstimanda?

VIII. Quodnam dicitur ingenium *originarium*? *universale* in gradu excellenti dari non videtur, cum ipsa hæc talenta in certis casibus se invicem impediunt.

§. II.

Diversa ingeniorum evolutio & cultura.

I. Causæ, quibus ingeniorum vires excitantur & perficiuntur, sunt & *physicæ* & *morales* — inter causas physicas & quidem internas recensetur 1) *organisatio ex-* & præsertim *interna* — organorum internorum *indoles* & *functio*, differentia ab organis externis, & ab his independens

activitas — cum organorum internorum constitutione intime connexa est phantasia, & connexa cum illa alia cognoscendi vires.

II. 2) *Temperamentum corporis*, quatuor simplicia distingui solent temperamenta — physica cujuslibet indoles & vis determinata ad producendas in anima certas virium & cognoscendi & appetendi dispositiones hic explicari debet: sic *cholericum* vigori phantasiae & spiritui explorationis ingenioque scientifico ac practico, *melancholicum* fidelitati memoriae ingenioque abstracto, *sanguineum* ingenio stricte dicto & poetico, *phlegmaticum* tardis observationibus favet.

III. 3) *Diversa aetas hominis* ob variam organisationis & temperamenti evolutionem ac mutationem producit diversas in pueritia, juventute, aetate virili, ac senectute dispositiones.

IV. 4) Et *Climati* seu causae externae suae in hominum ingenia vis negari non debet — tribus potissimum modis caeli temperies in ingeniorum formationem influit a) varie adficiendo ipsum corpus b) excitando varia earum rerum, quibus indigemus, desideria c) diversa rerum genera sensibus offerendo, quibus inventiones excitantur & facilitantur.

V. Causae *morales* ingeniorum culturam adjuvantes & impediens repetuntur ex relationibus socialibus quibuscunque, in quibus homo existit — inter has 1) numerantur seu causae *internae* a) *variae indigentiae*, quae excitant conatum iis satisfaciendi, & ingenia — egestate summa cum supprimantur talenta, & abundantia languescant, mediocris status optimum habebit effectum b) *inclinationes & affectus ex societate resultantes*: sic ingenia summa stimulat amor gloriae.

VI. 2) Causae *morales externae* omnes comprehendi possunt sub nomine *educationis*: haec primam dat ingenio directionem ad certa objecta, mores format, & ipsa ratione instructionis ac ordine mentem adjuvat — triplicem distinguiimus educationem 1) *eam, quam a parentibus accipimus*, quae prima est, & maximi momenti 2) *eam, quam a praceptoribus*: haec vel publica vel privata: utraque suum habet commodum & incommodum 3) *eam, quae a mundo datur*, quae prioribus sapissime parallela est: ad hanc refertur a) *linguae indoles*, quae semper erat cognitionum a populo acquiratarum custos, mensura, & communicatrix b) *reipublica constitutio*: quisnam est regiminis monarchici, despotici, republi-

blicani, quis bellorum in ingenia influxus? c) *mores decori*: obvium est discrimen inter educationem, quam dant nationes barbaræ & agrestes a gentibus cultis d) *ratio cogitandi* & *alia nationis præjudicia* e) *cultura populi passim acquisita* f) *ætas, qua quique vivit*, influit in talenta a) scientiis ea ætate jam florentibus β) principiis passim vigentibus de pretio alicujus scientiæ γ) aliis eventis contingentibus v. g. typographiæ inventione, erectione academiarum &c. g) *conditio hominis, in qua quis nascitur*: servilis plura ponit impedimenta evolutioni ingeniorum, libera vero & ingenua dat adjumenta.

§. III.

Dispositiones linguæ in homine.

I. *Signum est quodcunque objectum sensibile, aptum ad rei cujusque representationem excitandam* — est vel *naturale* vel *arbitrarium* — significatio ejus ad sociationem idearum nascitur — signa *necessaria* sunt ad ideas mutuo communicandas, in qua communicatione jam insigne commodum continetur — *utilitas* signorum late patet: 1) per ista omnes ideæ sensuales & abstractæ clarius & facilius reproducentur 2) per signa lecta vel audita novæ idearum series facilius nectuntur, sic ideæ magis veniunt in usum & potestatem nostram 3) ideæ universales potissimum per signa acquiruntur & phantasiæ imprimuntur 4) facilius conjunguntur & ordinantur — maximus igitur est linguæ in rationem influxus.

II. *Necessariæ signorum dotes, ex quibus linguæ cujuscunque perfectio aestimari debet, sunt* a) signum sit aptum b) vi significandi præditum c) facile — quæcunque signorum collectio *lingua* generatim dici potest — prima se exerit *lingua animalis* s. *clamorosa*, & *lingua per signa vultus*, quæ duo linguam *naturalem* constituunt: hæc plures defectus habet — paulo aptior videtur *lingua per gestus*: sed & ipsa valde imperfecta.

III. *Lingua verbalis* reliquis longe præstantior per sonos articulatos ideas exprimit — ipsa auris ad promovendam hanc linguam varias aptitudines habet,

IV.

IV. Origo linguæ verbalis quænam? estne inventa ab hominibus? an, & quomodo potuit ab illis inveniri? homo in societate cum hominibus constitutus, sine prævio linguæ usu & individua appercipiendi, & abstracta formandi vi, organis linguæ valde modificabilibus, & facultate imiandi naturam circumquaque sonantem instructus, in tanto se aliis exprimendi instinctu quidni initium dare potuerit linguæ, proprias sensiones, animalia objecta sonora exprimentis? cur vero soni præcise inter alias objectorum qualitates pro signis rerum delecti? unde soni articulati? unde signatio objectorum non sonorum? insensibilem? successiva hæc fuit linguæ cultura, & grammaticæ totius inventio — median inter eos, qui negant potuisse, & qui affirmant debuisse ab hominibus linguam verbalem inveniri, tenemus sententiam — quid re ipsa factum sit, monumenta historica decidere debent — ex hisce patet, quod lingua & ratio se mutuo perficiant.

V. Quævis lingua suum habet *genium* — *virtutes* linguæ sunt copia, elegantia, flexibilitas, & perspicuitas — analogia linguarum sæpe ad sensum vocis determinandum servit — linguæ aliter primitus, aliter una jam cognita addiscuntur.

VI. Defectus tamen ipsa lingua verbalis habet, qui sunt a) *pauperies linguæ*, quæ quibusdam ideis vel nulla signa dat, vel hæc jam in latiori, jam in strictiori significato sumere cogit, b) *verborum indeterminatio & æquivocatio*, quæ oritur vel quia verba ideas universales significant, non eodem apud omnes modo cogitatas, vel ideas compositas modorum aut substantiarum sæpissime arbitrarias, vel cum ipsis objectis mutabiles, vel non ipsam rei naturam, sed tantum ideas loquentis aut scribentis sæpe præposteratas — abusus quoque vocum multiplex, α) soni inanes aut imperceptibiles β) voluntaria affectatio & usus communis neglectus, γ) nimia adhesio ad verba, neglecta cognitione intuitiva — his canones opponimus, quibus & defectus linguæ emendentur, & abusus præcaveatur.

VII. Inventio scripturæ mirus profecto & insignis est ingenii humani partus: deprehenditur in nationibus antiquissimis & *realis* & *literalis* scriptura, multis realem prærogativis excellens — aut a reali ad literalem transitus factus, aut mox literalis inventa est — successivam ut lingua culturam habuit.

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

- A** 1  **R**
- 2** 
- 3**  **G**
- 4**  **B**
- 5** 
- 6** **M**
- 7**  **W**
- 8** 
- 9**  **G**
- 10**  **K**
- 11** 
- 12** 
- 13** 
- 14**  **C**
- 15**  **Y**
- 16** 
- 17**  **M**
- 18** 
- 19** 



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
								
								

